

Illum non populi fasces, non purpura regum
 Flexit, et infidos agitans discordia fratres
 Aut conjurato descendens Dacus ab Istro ;
 Non res Romanæ perituraque regna ; neque ille
 Aut doluit miserans inopem, aut invidit habenti.
 Quos rami fructus, quos ipsa volentia rura
 Spontè tulere suâ, carpsit ; nec ferrea jura,
 Insanumque forum, aut populi tabularia vidit.

Sollicitant alli remis fræta cæca, ruuntque
 In ferrum, penetrant aulas et limina regum.
 Hic petit excidiis urbem miserosque penates,
 Ut gemmâ bibat, et Sarrano indormiat ostro.
 Condit opes alius, defossoque incubat auro.
 Hic stupet attonitus rostris : hunc plausus hiantem
 Per cuneos (geminatur enim) plebisque patrumque
 Corripuit : gaudent perfusi sanguine fratrum,
 Exsilioque domos et dulcia limina mutant,
 Atque alio patriam quærunt sub sole jacentem.
 Agricola incurvo terram dimovit aratro :

(VIRGILE, *Georg.*, Liv. II)

V

CALME ET BONHEUR DU SAGE

Suave, mari magno turbantibus æquora ventis,
 E terrâ magnum alterius spectare laborem.